

**Henrici Josephi Collin ... Lactucae sylvestris contra hydropem vires, sive observationum circa morbos acutos et chronicos factarum. Pars VI.**

**Contributors**

Collin, Heinrich Joseph, 1731-1784.  
Royal College of Physicians of Edinburgh

**Publication/Creation**

Viennae : Apud Rudolphum Graeffer, 1780.

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/bvw6gcbg>

**Provider**

Royal College of Physicians Edinburgh

**License and attribution**

This material has been provided by This material has been provided by the Royal College of Physicians of Edinburgh. The original may be consulted at the Royal College of Physicians of Edinburgh. where the originals may be consulted.

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

HENRICI JOSEPHI COLLIN,

SACR. CÆSAREO-REG. APOSTOL. MAJEST. REGIMIN. INFER.  
AUSTR. CONSILIARII, ET NOSOCOM. PAZMANNIANI PHYSICI  
ORDINARII, HOLLANDICÆ SCIENTIARUM ACADEMIÆ,  
QUÆ HARLEMI EST, MEMBRI,

LACTUCÆ SYLVESTRIS

CONTRA HYDROPEM

V I R E S ,

S I V E

OBSERVATIONUM

C I R C A

M O R B O S A C U T O S

E T

CHRONICOS FACTARUM

P A R S VI.



---

V I E N N Æ,

APUD RUDOLPHUM GRÆFFER, 1780.



HENRICI JOSEPHI COLLIN

PHYSICUS REGIUS APOSTOLICUS MAGIST. MEDICIN. THYR.  
ORDINARIUS HORTICULAE SCIENTIARUM ACADEMIAE  
GUL. CAROL. IMP. MEMBR.

LACTUCE SYLVESTRIS

CONTRA HYDROPEM

VIRIS

SIVE

OBSTERVATIONUM

CIRCA

MORBOS ACUTOS

ET

CHRONICOS FACTARUM

PARS VI



VIIENNAE

APUD RUDOLPHUM GRÄFFERUM, TYPOG.

R54014



ILLUSTRISSIMO, MAGNIFICO,

A C

CLARISSIMO VIRO

A N T O N I O

LIB. BARONI

DE S T Ö R C K,

DOMINO IN JEDELSEE,

AUGUSTISSIM. IMPERATORIS ET IM-  
PERATRICIS A CONSILIIS, ARCHIATRORUM CO-  
MITI, STUDII MEDICI ET FACULTATIS MEDICÆ PRÆSIDI,  
PERPETUO PER UNIVERSAS AUSTRIÆ PROVINCIAS PROTO-  
MEDICO, MULTARUM ACADEMIARUM MEMBRO, ET  
NOSOCOMII PAZMANNIANI PHYSICO,

*Ob sibi nuper in acerbissimo & periculossimo mor-  
bo humanissime præstita officia & restitutam sanitatem,  
& perpetuum grati animi signum, hasce paginas se-  
que totum*

D. D. D.

H. J. COLLIN.



ILLUSTRISSIMO, MAGNifico,

CARISSIMO VIRO

ANTONIO

DE STÖRCK,

DOMINO IN IUDICE,

ILLUSTRISSIMO IMPERATORI ET IM-

PERIALI A CONSILIO, ALCANTARUM CO-

MITI, SENATUI ET FACULTATI MEDICAE IN REGNI

APERTIO PER UNIVERSITATEM PROTECTORIS POTO-

MITIO, MORTARI IN ACADEMIA MEMBRO, ET

RODOLPHI PARLAMENTI PRÆSIDI;

Ob fidem in nobilitate & pietate vestra mor-

temus, ut in vestro officio, & in vestra


proprietate, & in vestro officio, & in vestro

et

D. D. D.

H. I. G. G.





## PRÆFATIO.

**H**ydrops, multiplices diversissimasque causas habens, etiam ab eadem causa ortus, in diversi temperamenti, ætatis & vitæ generis hominibus variam sæpe requirit medellam; & Materia medica contra hunc morbum nimis pauca efficacia, rite



probata suppeditat remedia. Certum tamen est, plurima in regno vegetabili dari diligenti Medicorum indagatione detegenda. Ante aliquot annos doctissimus & sagacissimus Observator ad ditandam bonis remediis Materiem medicam natus Illustrissimus L. B. DE STÖRCK colchici vires contra hydropem detexit, & experimentis demonstravit: doleo, quod inde paratum acetum & oxymel non ubique locorum inveniatur; spondere enim possum, si debito tempore & modo parentur, & Medici iis sicut præfatus Illustrissimus Vir & ego post illum fida observatione & experientia ducti docuimus, utantur, fore, ut in multis casibus valde felices successus ha-



habeant : est enim valde efficax & blandum, ac in tenerrimis etiam subiectis securum remedium. Nunquam tamen creditum est, illud omnes hydropicos curare debere. Etenim pluri non sunt curabiles : quorundam ventriculus illud non fert, & in quibusdam circumstantiis plane non convenit. Id nempe cum aliis optimis medicamentis commune habent colchici præparata, quod non semper, neque omni ægro, neque omni morbidie, ob varia symptomata supervenientia, conveniant : omnis enim efficacis remedii applicatio a Medici prudentia dirigi debet. Cum ergo quodvis medicamentum antihydopicum non omni ægro accommodatum sit, ne-



que in omnibus desideratos effectus præstare valeat, utile erit, in naturæ regnis plura nova quærere, & spero, Medicis practicis & hydrope affectis hominibus gratum fore laborem, quem in eruendis & demonstrandis Lactucæ sylvestris contra hydropem viribus impendi. Quid hoc remedium in difficillimis hydropicis morbis præstare possit, sequentes paginae docebunt. Multis aliis laboribus medicis impeditus, & desiderio, nihil, nisi quod probatissimum esset, de hoc remedio affirmandi detentus, hujus opusculi editionem hucusque distuli.





## DESCRIPTIO PLANTÆ.

Θριδάξ ἀγρία, *Dioscorid.*

*Lactuca atra meconis, Plinii.*

*Lactuca agrestis opii odore, Theoph.*

*Lactuca sylvestris, Matthiol.*

*Lactuca sylvestris, Fuchsf.*

*Lactuca foliis semipinnatis, nervo spinoso,*  
*Halleri.*

*Lactuca scariola, Linn.*

*Lactuca sylvestris odore viroso, C. Bauh.*

*Wilder Lattig.*

*Radix* albida, digiti minoris ferme crassitie, ex capite nodoso ramose divaricata, fibrosa, annua.

*Caulem* promit bi-aut tricubitalem, rectum, simplicem, rarissime, nisi interdum in locis cultis, ramosum, inferne rubellum, cæterum ex albido virentem, glabrum & ab



infra ad unam fere tertiam aculeis tenellis obfitum. Hic

*Foliis* vestitur alternatim positis caulem amplexantibus, inferioribus (uno alterove) oblongis, integris, ex angustia sese dilatantibus, denticulatis, in planta adulta facile marcescentibus ac deciduis: reliqua folia caulem ornantia sunt sinuato-laciniata, venoso-reticulata, coloris glaucini, glabra, costa vero dorsali aculeata, margine spinulosa: omnia in caule plus minus ita torta, ut margo alter cœlum, alter terram quodammodo spectet; in suprema parte caulis dividitur in paniculam

*Floribus* plurimis flavis, brevissime pedunculatis superbientem, quarum

*Calix* communis subcylindricus ex squamulis plurimis imbricatim positis conflatur, cui infidet

*Corol-*



*Corolla* uniformis, ex corollulis monopetalis ligulatis hermaphroditis æqualibus composita; harum quælibet

*Stamina* continet quinque filamentis constantia, brevissimis capillaribus, liberis; antheris vero in tubulum cylindraceum connatis, per quem

*Stylus* transit filiformis, eminentibus duobus stigmatibus reflexis, singulorum horum

*Germina* subovata abeunt in

*Semina* solitaria compressa rugoso-striata, obscuro-cinerei coloris, nigroque maculata,

*Pappo* simplici, piloso, stipitato coronata, quibus delapsis

*Receptaculum* remanet nudum.

Hæc planta vulnere faucia lac fundit copiosum, acre, amaricans, odoris vehementis papaveracei, aut opium ipsum fatis mentientis; ut inde pro LACTUCA SYLVE-  
STRI ODORE VIROSO C. *Bauh.* ideoque

pro



pro VIROSA *Linnei* haberi possit, nisi *Linneana* definitio obstaret: interea tamen minus certe constat, an planta nostra *Linnei* SCARIOLA aut VIROSA LACTUCA habenda: SCARIOLAM esse ex synonymis ab Ill. *Linneo* allatis conjicere omnino liceret; at in novissima *Systematis Vegetabilium* editione decima tertia pro caractere specifico LACTUCÆ VIROSÆ ponit: *Caulem inferne aculeatum, folia margine & imprimis carina aculeolatis*; ubi e contra LACTUCÆ SCARIOLÆ *folia caulina, superiora carina levi, nec aculeata.* An ergo nostra potius VIROSA *Linnei*? Interim ob characterem specificum admodum vacillantem ab Ill. *Hallero & Gerardo* hæ duæ plantæ, & fors non inconsulte, pro solis varietatibus habentur: verum ob odorem, quem nostra spirat, manifeste narcoticum, VIROSA ideo dicenda potius, cum determinationes Patrum cum ea omnino congruant, cujus sat bonæ videntur

figu-



figuræ apud *Theophrastum*, *Matthiolum*, & *Fuchsum*, nisi quod folia plus justo sint conferta, nec non inferiora integra in figuris allegatis desiderentur, quæ tamen, ut supra monitum, in planta adulta vix jam adsunt. Reliquum, si quod est, discrimen nostra dilucidabit descriptio, monstrabit figura icone adumbrata.

Crescit passim in locis cultis & incultis, fecus vias & agrorum aut pratorum margines juxta scrobes, in apricis, & alibi sponte; floret Augusto.

Ne tamen ob similitudinem quamdam cum *soncho oleraceo* a Rhizotomis confundatur, cavendum.





---

PRÆPARATIO  
EXTRACTI LACTUCÆ SYLVESTRIS  
SIVE VIROSÆ.

**H**oc sequenti modo paratur :

Succus ex recenti planta expressus per 24 horas in cella subterranea, vel alio loco frigido, ne in fermentationem ruat, asservatur. Decantatus per aliquot momenta ebullit, dein per manicam Hippocrat. colatur: colatus sufficienti quantitate albuminum ovorum, subsequente denuo brevi ebullitione & per pannum laneum traiectione, clarificatur, & dein leni igne ad medietatem evaporatus, ab igne semotus & refrigeratus, secunda vice albuminibus ovorum, brevi coctio-



coctione, & per manicam Hippocratis tra-  
 jectione, clarificatur, & demum leni igne in  
 extracti consistentiam reducitur. Sic opti-  
 mum obtinetur extractum, non raro spiculis  
 salinis micans. Nisi tempestas æstate & præ-  
 cipue circa tempus collectionis valde hu-  
 mida fuerit; valde difficulter per filtrum  
 transit hujus plantæ succus, & præfata me-  
 thodo sufficienter depuratur. Illud, sicut  
 omnia alia medicamenta, pro ægris noso-  
 comii optime paratum Dominus REISER,  
 Pharmacopææ ad *sanctum Spiritum* Provi-  
 sor vigilantissimus, suppeditavit.

Si lucripeta Pharmacopæus debitam de-  
 purationem negligat, obtinet majus extracti  
 pondus; sed ut inde idem effectus obtinea-  
 tur ac a rite parato, dupla vel tripla dosis  
 exhiberi debet, quod ægris nauseam cau-  
 sat: principium enim salinum, in quo præ-  
 cipua plantæ virtus residet, valde multis  
 iner-



XVI PRÆPAR. EXTR. LACTUC. SYLV.

inertibus terreis partibus irretitum est, a quibus per sollicitam depurationem magna ex parte liberatur.

Licet juvenis æque ac vetusta jam planta, modo adhuc succum suppeditare possit, viribus non careat; optimum illam pro parando extracto colligendi tempus est, dum instat florentiæ tempus; tunc enim tota sua virtute pollet.



CASUS





DE  
LACTUCA SYLVESTRI.

---

*CASUS PRIMUS.*



Operarius 30 annorum nun-  
quam ægrotus, per medium  
annum carceribus detentus,  
& statim ab initio incarcerationis omni fere  
appetitu & somno privatus cito vires ami-  
A fit,



fit, & sub initio Julii 1771 diarrhœa correptus est.

Cum qua & tumore œdematoso artuum inferiorum & faciei, colore totius corporis fusco 29. Julii ad nos delatus est : dato rheo, myrobalanis & ipsa radice arnicæ alvi fluxum ægri jam valde debilitati vires continuo magis destruentem paulatim compescere conati fuimus : verum sub hac cura brevi totum corpus hydrops anasarca occupavit ; in cavo abdominis inceperunt aquæ colligi & alia diuretica (excepta squilla quam nulla forma ferebat) diarrhœam ægro, ni sedaretur, fatalem futuram resuscitabant, præsentem augebant. Non obstante diligentī usu omnium, quæ prodesse posse videbantur, remediorum initio Septembris abdomen in valde magnam molem elatum erat, scrotum magni capitis virilis molem acquisiverat, anasarca valde auctus erat, insatiabilis sitis orta, & æger cibos omnes

tan-



tantum precibus adactus fumens, difficili respiratione affectus, quasi massa iners supine jam a 10 diebus continuo decumbens diu, noctuque sub se omnia dejiciens, mortem indifferens expectabat.

Septima Septembris missis aliis remediis, quæ recusabat æger, dedi illi quater de die pilulam gr. ij. extract. lactucæ virosæ.

Octava Septembris mane illum minus anxium inveni, vespere illum denuo invivens bis excipulum ad mittendam urinam petierat, & tota die non fuerat purgatus; urina in binis vitris asservata uncias circiter 12 æquabat, fusca opaca erat & in fundo vasis sedimentum multum nigrum aderat: ante mediam noctem denuo ultra libras ij ital. urinæ misit; duplam dosin ejusdem extracti cœpit fumere; post mediam noctem usque ad octavam matutinam sex vitra capacitatis lib. j. urina flava paucum enæore-



#### 4 DE LACTUCA SYLVESTRI.

ma fundum petens gerente implevit : unde respiratio multum levata & sensuum stupor minutus est : alvum interdiu in lectum semel dimisit minus tenuem, fuscam & usque ad nonam matutinam decimæ Septembris lib. XIV. urinæ dilute flavæ paucissimum enæorema gerentis cum manifesta emollitione totius corporis habitus excrevit : æger libentius & facilius ad interrogata respondabat, se minus sitire gaudebat, cibos desiderabat : alvum figuratam, paucam, fuscam deposuerat ; somno subinde reficiebatur, de salute sua denuo sollicitus erat ; appetenti paucum vinum concessum, & medicamenti gr. xx. per diem data.

Undecima Septembris decima matutina denuo 12 vitra urinæ hesternæ similis plena, ægrum bene appetentem, siti plane omni carentem, omnia bona sperantem, molem corporis collabentem, abdomen mollius inveni : æger sub dicta medicamenti  
dosi



dosi 14. 15 subinde 16 urinæ libras per nyctemerum excrevit, omnibus sub hac evacuatione continuo in melius vergentibus, ita ut vigesima prima Septembris ab omni hydrope liber fuerit: quare tantum medicament. gr. xij. per diem data, & sumpsit æger simul quotidie extract. mart. pomat. dr. sem.

Penultima Septembris ab extracto anti-hydrico abstinuit: extractum mart. pomatum continuatum est: æger ab initio curæ cibis aptis, sensim copia auctis & paucis vino usus, tam cito vires recuperavit, ut octava Octobris naturali colore præditus & sat carnosus potuerit dimitti: vidi illum diu post in plateis sanum.

### *CASUS SECUNDUS.*

**O**perarius 40 circiter annos natus, sub finem Maji 1771 magno frigore cum



dolore acuto, punctorio, profundo hypochondrii dextri correptus est: frigus & dolor per 5 dies duraverunt, & infuso aliquo domestico adhibito defierunt, manente ingentis in toto hypochondrio dextro ponderis sensu, anxietate & totius corporis magna debilitate, qua non obstante pauperi suæ familiæ solitis laboribus panem denovo cœpit lucrari: appetebat cibos æger, sed assumptis valde anxiabatur, idcircoque vix comedebat.

Prima Julii cœperunt intumescere pedes, tumor sensim adscendit, & decima octava Augusti jam totum corpus occupans ægrum ad labores penitus ineptum reddidit: urina valde parca prodire cœpit, alvus tarda facta, & appetitus minutus est: æger paucis remediis utens domi suæ mansit usque ad vigesimam nonam Augusti, qua fere rigidus & suffocationi proximus ad nostrum nosocomium septima vespertina delatus est:

trige-



trigesima Augusti hora decima matutina ægrum, cui assistens meus purgans salinum brevi post suum adventum vasculatim sumendum dederat, primo vidi; totus corporis habitus flavofuscus tumore valde magno duro vix digiti prementis vestigium fervante occupatus erat: supine decumbens extensis artubus vix minimum motum facere poterat: appetitus deletus, sitis vix ulla: alvus a purgante sexies mota fuerat aquosa, coloris argillacei, urinæ circiter unc. iij. guttatim miserat, opacæ, fuscæ: ab attactu utrumque hypochondrium valde dolebat: lingua fordida, alba, pulsus præ tumore imperceptibilis, respiratio valde difficilis: purgans per epicrasin continuatum, quod denuo usque ad 31. Augusti mane sexies alvum movit, cum aliquo respirationis levamine, sed vix unc. j. urinæ fuscæ miserat: data est ipsi mixtura, quæ bonam dosin tincturæ mil-



leped. & terræ foliat. tartar. continebat: & aliquoties in die infusum calidum plantarum ad diaphoresin & diuresin promovendam aptarum: hisce per 5 dies adhibitis, licet alvus ter quater in die flueret, nullum levamen adfuit: urina æque mala & pauca excreta est, & moles corporis cum respirationis difficultate aucta est.

Quare decoct. saturatissimum rad. gramin. & taraxaci cum squilla ægro exhibitum.

Prima die illud tulit, secunda autem magnas inde anxietates passus est, continuas nauseas habuit, & respuit sumere æger.

Septima Septembris missa squilla continuavit decoct. & simul oxymell. colchic., optimi certe in plurimis hydropicis remediis, unc. iij. per diem sumere cœpit.

Decima quarta Septembris non obstante horum optimorum remediorum usu urinæ excretio non augetur, color illius æque malus manet: tumor idem & respiratio non obstante



obstante alvi liquidæ terna quaternave per diem dejectione sensim laboriosior facta interitum ægro minatur : quare missis aliis extract. lactucæ sylvestris, cujus egregios effectus in priori ægro observaveram, gr. x. per diem præscripsi, & desuper, decoct. hord., radic. bardan. & acetos. oxymelle simplici edulcoratum.

Per biduum hac dosi utens nullum levamen habet : dantur ipsi gr. xx.

Decima octava Septembris respiratio facilior erat, tussitat æger, alvum argillaceam habet : urina & reliqua ut ante ; dantur ægro extract. lactuc. viros. gr. xxviii. per diem ; inde aucta est urinæ excretio & sequenti die mane hujus lib. iv. in vitris inveni ; tria prima vitra opacam, fuscam cum multo crasso, fusco enæoremate subsidente continebant : in quarto vase erat flava, diaphana cum enæoremate divulso : alvum sat copiosam, subfuscam, pultaceam



deposuerat : habitus corporis minus tensus & æger se multum levatum aiebat : usque ad vigesimam mane urinæ flavæ lib. viij. misit & sic diebus sequentibus, alvo circiter naturali quotidie secedente, respiratione de die in diem faciliori reddita.

Vigesima quarta Septembris extract. gr. l. per diem cœpit sumere, aucta denuo urinæ copia & redeunte appetitu.

Quare vigesima nona ejusdem medicamenti dr. jss per diem illi exhibita: ab hac dosi per sex dies tanta & tam frequens fuit præcipue nocturno tempore diuresis, ut vix somnum capere potuerit, sensim dein minuta est hæc evacuatio.

Duodecima Octobris totum corpus exceptis folis pedibus detumuit, bono cum appetitu comedit, & a cibis non gravatur: fitis, ex quo medicamento hoc utitur, vix ulla; respiratio libera tussis fat facili sputa glutinosa copiosa expectorat.

Per-



Pergit eandem medicamento dosin sumere.

Decima sexta Octobris urinæ excretio copia & colore naturalis; verum æger incipit toto corpore fere continuo sudare: hic sudor durat usque ad 22. inclusive; toto hoc tempore multa glutinosa facile expectorat, bene dormit, hypochondria sunt libera.

Vigesima quarta Octobris cessat sudor, æger toto curæ tempore lecto adfixus, vires expectationem multum superantes habet, per cubiculum alacriter deambulat: vix amplius tussit: utitur medicamento ad vigesimam sextam, qua nobis renitentibus ex nosocomio discessit: decima sexta Novembris illum vidi optime valentem.

### *CASUS TERTIUS.*

**O**perarius 22 annos natus decima sexta Octobris anni 1771 ad nos delatus est:



est: decimo septimo ætatis anno cataracta per triennium sensim maturefcens oculum sinistrum visu privaverat; qua per acum depressa, visus restitutus & juvenis sanus mansit usque ad initium mensis Julii elapsi, quo in febrim petechialem epidemicam incidit, a qua sat cito evasit, & brevi post tegendis ruri tectis, pluviae fere quotidie expositus, operam navavit: pruna, sæpe non satis matura œconomiae causa valde multa quotidie comedit, & feбри intermittente primo tertiana, dein quartana, demum quotidiana affectus est; qua circa medium Septembris per sympathiam, ut credit, curata, pedes & totum corpus exceptis brachiis cito intumere, scrotum eam in molem crevit, ut incessum plane impediret; quapropter opem in nosocomio quæsivit.

Totus corporis habitus fusca flavedine tinctus erat, caput & reliquum corpus, exceptis artubus superioribus, tumidissimum, elasticus



sticus anasarca occupabat; abdomen aquis plenum valde protuberabat, & non obstante magno anasarca obscura fluctuationis signa-  
dabat: respiratio erat laboriosa, pulsus valde mollis, tardus, appetitus nullus, fitis multa: lingua pallide flava, alvus tarda, fusca, cocta, pauca: jam a tribus septimanis vix mediam urinæ libram guttatim 24 horarum spatio excernebat, eamque fuscam & cito sedimen lateritium deponentem: fitis multa, oculi erant aquosi, tristes, luridi: animus erectus, & vires sat bonæ. Datum ægro purgans acre duodecies alvum copiosam, initio duram, dein liquidam, gryseam subduxit: urina ut ante saturate fusca, post depositionem sedimenti lateritii saturate rubra, pauca.

Decima octava cœpit extracti mei gr. viij. per diem fumere, illud optime tulit, sed nulla excretio aucta est, urina mansit

ea-



eadem, & alvus enemate sollicitari debuit.

Vigesima secunda Octobris dedi illi per diem extract. gr. xvij.

Vigesima tertia mane urinæ ejusdem notæ ac prior lib. iij. miserat, & vigesima quarta mane ægrum 24 horarum spatio lib. vj., ejusdem tamen coloris & cum eodem sedimento, misisse gavisi sumus.

Vigesima sexta hæc inveni: æger heri bis & hodie semel alvum gryseum, mollem, sat copiosum deposuit: 48 horarum spatio urinæ fuscae cum sedimento lateritio copioso lib. xvij. miserat: totus corporis habitus mollebatur; color erat idem ac ante, incipiebat appetere æger, & sitis vix ulla aderat.

Vigesima septima urinæ minus fuscae, paucius sedimen lateritium habentis, lib. viij miserat: copiosum alvum bis deposuerat mi-



nus gryseam : somnus ut ante multus, reliqua ut heri.

Vigesima octava anasarca in scroto & cruribus penitus disparuit; abdomen multum collapsum, molle est, in eo valde manifesta aquarum fluctuatio percipitur, & manus durum totum hypochondrium sinistrum occupantem, a paulo rudiori attactu dolentem, tumorem deprehendit: quater ab hæsterna die copiose purgatus est, & urinæ biliosæ cum multo enæoremate fundum petente lib. ix. misit; fitis disparuit, & sui cibi illi sapiunt.

Trigesima prima Octobris pergente, ut ante, urinæ evacuatione sensim magis detumescit æger: bina post meridiem urinæ citreæ, dilutæ vitra, nubeculam parvam in medio suspensam gerentia, post prandium misit: alvum a 24 horis nullam deposuit: hypochondrii tumor multum minutus, minus durus, & indolens erat: color cutis dilutior.



lutior. Sumit hodie purgans salinum, quod decies alvum liquidam, pallidam subducit.

Prima Novembris dantur illi extract. lactuc. viros. gr. xl. per diem, urina subfusco colore tincta cum enæoremate fundum petente sat copiosa mittitur, alvus erat argillacea.

Quinta Novembris hypochondrium sinistrum magis tumet, & denuo ab attactu & dum in illud latus decumbit, dolet: datur denuo ipsi purgans salinum.

Sexta Novembris incipit æger medicamento. dr. iß. per diem fumere, urina fit dilutior & lib. ix. vel x. nyctemeri spatio excernuntur, alvus colore & consistentia melioratur: sæpius tussitat æger: cutis flavedo sensim minuitur.

Duodecima Novembris urinæ pallidæ cum paucis enæoremate subsidente lib. xiiij. misit, nullum adest hydropis indicium: hypochondrii tumor adhuc parum dolens, mollior



lior, minor est: icterus disparuit: appetitus bonus, alvus coloris naturalis: pulsus sat plenus, mollis, æqualis: pergit eadem medicamenti dosi uti, sub qua postea urinæ ejusdem notæ tantum lib. vij. vel viij. nyctemeris spatio mittit.

Decima sexta Novembris noctu multum sudavit: tussis rarior est, sputa alba cocta, copiosa, facile expectorat: omnes functiones bonæ.

Decima nona Novembris diuresis denuo valde copiosa est; pallidis urinis biliosæ intermixtæ sunt: lien adhuc tumet & a rudiori attactu dolet: febris nulla: tussis rara: corpus exsiccatum: misso medicamento diuretico datur ægro copiosum decoctum radic. saleb. cum sale polychresto: hypochondrium ope unguenti althææ aliquoties in die leniter fricatur: sicque trium septimanarum spatio continuantes ægrum perfectæ sanitati restituimus.



*CASUS QUARTUS.*

**V**ir 50 & aliquot annos natus 22da  
Octobris 1772 ad nos delatus est.

Initio Augusti specie febris intermitten-  
tis irregularis omni altera vel tertia die ea-  
dem circiter diei hora recurrentis, solo frigore  
circiter per tres horas durante, absque ullo  
succeedente calore, ægro molesto, vigente  
interea appetitu, correptus est : qua sub fi-  
nem Augusti a Medico sublata intumescere  
pedes & crura ad genua usque: tumor hic  
applicato pedum plantis raphano rusticano  
cessit : sed post binas septimanas denuo  
ægrum invasit, & intra paucos dies femora,  
scrotum & totum corporis habitum, exce-  
pta facie & brachio sinistro, occupavit:  
remedia domestica nihil juvarunt : quare  
ad nos delatus est. Totum corpus viride-  
scens color deturpabat; appetitu carebat:  
fistis erat multa, lingua humida, lurida,  
nullis



nullis fordibus obfita : tuffis multa, inanis :  
fopor continuus & fomni tempore respiratio  
laboriofa, inæqualis.

Medicamentis aperientibus alvi & urinæ  
promotioni aptis ægro auxilium ferre cona-  
tus fum : verum fub horum ufu facies &  
brachium finiftrum anafarca occupavit, ab-  
domen aquas collegit, & reliquum corpus  
magis intumuit : urina valde pauca, bilio-  
fa, fedimen fuffuraceum deponens, alva  
colore naturali prædita, excreta eft, & re-  
liqua fymptomata immutata permanferunt :  
quare tertia Novembris oxymell. colchic.  
unc. ij. quotidie abfumendas præfcripfi, fub  
cujus ufu circiter urinæ lib. ij. 24 horarum  
fpatio excrevit, coloris minus obfcure flavi.

Duodecima Novembris rogavit æger,  
ne amplius hoc medicamentum fibi præfcri-  
beretur, fe inde ventriculo dolere afferens :  
inde tamen fitis minor facta. Quare licet  
optimi medicamenti fapor & odor aliis ad-



mixtis mutari & additis remediis stomachicis ægris tolerabile reddi possit, felicibus effectibus novi remedii innixus illud ad gr. xvij. per diem ægro meo dare cœpi, qui præter magnum asciten & anasarcam valde difficili respiratione, eaque, dum in latera decumbebat, stertorosa, tussi frequenti cum sputis glutinosis, difficilibus: somno vix ullo gaudebat, & sæpius leniter febricitabat.

Decima tertia Novembris mane urinæ subbiliosæ lib. vij. inveni, cætera ut heri.

Decima quarta eandem urinæ copiam miserat: respiratio paulo facilior, alvus cocta coloris naturalis: datur illi medic. dr. ß per diem.

Decima quinta urinæ lib. viij. mane inveni, rubella erat, cum furfureis multis subsidentibus & innatantibus: noctu melius dormiverat, & respiratio manifeste emendabatur.

Decima



Decima sexta urinæ limpidæ lib. vij. miserat: valde detumescit: tussis facilis, sputa puriformia: pulsus leniter febrilis: respiratio in somno adhuc sæpe difficilis.

Pergit urinæ utplurimum pallidæ libras sex septemve quotidie mittere, multum expectorare, respiratio in somno sensim melior fit & febricula vigesima Novembris penitus disparuerat.

Trigesima Novembris de hydrope nihil superest: respiratio est libera: tussicula denuo sicca a triduo subinde illi molesta est: datur illi decoct. radic. saleb. & extract. lactuc. tantum gr. xv. per diem: sub quorum usu tussis brevi sedata est, & mediante apta diæta sensim ita vires recuperavit, ut initio Januarii solitos labores denuo exercere cœperit.



*CASUS QUINTUS.*

**H**orologarius 40 annos natus vigesima sexta Octobris 1772 ad nos delatus est: aiebat se tota hyeme elapsa ad vernum tempus usque tertiana laborasse, æstate sequente bis febri putrida epidemica decubuisse, post quod semper valetudinarius mansit: sumpto initio Septembris purgante per biduum vomitu fere continuo & alvi dejectionibus frequentissimis affectus est. Cessante vomitu per 14 dies continuavit purgari, unde ad summam debilitatem reductus est: qua non obstante & tumentibus jam pedibus iter Viennam suscepit. Ea die, qua in nostrum nosocomium susceptus est, totus corporis habitus coloris flavo-fusci, aqua intercute in magnam molem elatus, & abdomen durum tumidum valde prominebat: epigastrio tympaniticum sonum edente: appetitus nullus: fitis mul-

ta,



ta, lingua humida, lurida, alvus tarda, & ait, se jam a 15 diebus vix unc. iij. urinæ per diem guttatim mittere: decubitus in latus dextrum ægrum summe anxium reddit: somnus paucus, fatigans.

Remediorum salinorum & oxymellis colchici usu usque ad decimam Septembris continuato alvus libera reddita, fitis sublata, somnus paulo melior evasit: artus inferiores visi sunt parum detumescere, verum urina fusca æque pauca copia excreta est ac ante: cutis mansit sicca, & reliqua mala eadem perstiterè; quare loco oxymell. colchic. extract. antihydopic. dr. ß. per diem cœpit sumere æger, & saturatum rad. gramin. cum sale polychresto decoct. iima extract. scr. ij. per diem exhibiti sunt.

Duodecima leniter per tres horas toto corpore sudavit, alvum mollem, pallidam bis deposuit, ac urinæ excretio parum au-



geri, & color illius fuscus in dilutiorem mutari cœpit.

Decima tertia vesperi ab heri circa meridiem urinæ rubellæ cum nubecula suspensa circiter lib. vij. misit æger : matutino tempore denuo leniter sudavit : appetitus renascitur : artus & facies multum detumescunt : abdominis moles eadem : somnus paucus : datur illi extract. dr. j. per diem.

Decima quarta omnia procedunt ut heri.

Decima sexta a nudius tertius urinæ citreæ lib. xj. misit : alvus quotidie bis terve mollis, pallida secedit : respiratio autem, præcipue in somno, adhuc difficilis est, & decubitus in latus dextrum impossibilis : dantur ægro medicam. scr. iv. per diem.

Pergente alvi & urinæ copiosioris excretionem, anasarca vigesima disparuerat ; respiratio autem non levatur, abdomen non detumescit.



Vigesima secunda Novembris urinæ, quarum lib. ix. 24 horarum spatio miserat, valde biliosæ, opacæ sunt, & sedimen lateritium deponunt: color cutis idem ac ante: abdomen videtur mole augeri, epigastrium valde elatum tympanitice resonat, respiratio est valde laboriosa: oculi, facies & labia lurido colore tincta.

Vigesima tertia Novembris vespere moritur æger. Aperto cadavere utrumque pectoris cavum aqua plenum, pulmo sinister multis tuberculis duris, fere cartilagineis, quorum tria nucem juglandem magnitudine superabant, obfitus: hepar cinerei coloris, induratum: vesicula fellea bile vacua: lien triplo major naturali, sanguine atro farctus: totum pancreas scirrhum: colon valde distentum: renes valde laxi.



*CASUS SEXTUS.*

**A**uriga 60 annorum 43tium ætatis annum absque ullo fere morbo attigit, dein tertiana febris correptus est, quæ ultra annum duravit, arte demum sublata : postea æger quater acute decubuit. Vere elapso ex febris putrida post 4 septimanas evasit, qua mense Octobri denuo correptus, valde periculose per tres septimanas decubuit : ab illa liber, mansit languidus, & initio Novembris incepit intumescere, primo artubus inferioribus, cito adscendente tumore & totum corpus occupante, cum dolore omnium articulationum artuum inferiorum & brachii dextri, inaniter multum tussire, difficile decumbere, & somno fere omni privari.

Decima nona Novembris 1772 ad nos delatus est : respiratio erat crebra, brevis, valde laboriosa, stertens : frequenti tussi sputa pauca, spumosa educebantur : facies, sicut



sicut reliquum corpus, tumidissima tota livebat : lingua erat humida, lurida : abdomen aquis plenum, turgidissimum : urina paucissima, fusca, alvus liquida, viridescens semel bisve quotidie excernebatur : appetitus nullus : fitis multa : artuum inferiorum & brachii dextri doloribus successerat, immobilitas.

Præmissio purgante per epicrasin dato alvus bidui spatio vigesies subducta est, urina & quantitate & consistentia eadem manente, respiratione vix emendata.

Vigesima prima Novembris data est illi extract. lactuc. sylvestr. dr. ß. per diem.

Vigesima quarta, cum urinæ excretio adhuc pauca maneret, data est ægro extracti ejusdem dr. j. diei spatio sumenda.

Vigesima quinta Novembris nyctemeri spatio urinæ adhuc fuscae lib. iiij. miserat & bis purgatus fuerat : sequenti die urinæ lib. vij. excreverat, pallide-flavæ : per-  
rexit-



rexitque eandem circiter copiam quotidie mittere, sæpius leniter sudans.

Duodecima Decembris hydrops intercus fere disparuit; ascites minuitur: æger, qui ante quinque dies suffocationi adhuc proximus erat, facile spirat, absque incommodo in omnem partem decumbit: pulsum habet tardiusculum, mollem, liberum, inæqualem: artus omnes libere movet: somnus adhuc paucus.

Decima septima Decembris mane noctu optime dormivit, ab heri urinæ citreæ lib. xj. misit: omnia in melius vertuntur.

Decima nona Decembris vespere urinæ lib. xxij. inveni: anasarca penitus disparuit, ascites valde minuitur: tussis est rara, sputa mucosa: reliquæ functiones bonæ.

Vigesima mane urinæ pallidæ lib. xvj. miserat: abdomen penitus collapsum.



Vigesima secunda urinæ aquosæ lib. l. a nudius tertius miserat : vix amplius tussiebat : non sitiebat : appetitus erat bonus : somnus tranquillus : hydropis indicium nullum.

Medicamentum diureticum missum feci, & hujus loco decoctum mucilaginosum ægro præscripsi, sub quo tussis penitus cessavit; urina autem per 10 dies ad lib. viij. & ultra per diem, modo pallida, modo citrea, subinde etiam aurantia, excreta est.

Excretio autem hæc sumpto quotidie extract. mart. pomati dr. ß. sensim ad statum naturalem reducta est & æger 14ta Febr. sanus & robustus ad suos rediit.

### *CASUS SEPTIMUS.*

**R**usticus 50 annos emensus ad nos 30. Novembris 1772 accessit. Hic vir ante 12 annos per 9 menses tertiana laboravit, quæ toto hoc tempore sibi relicta, sumpto



sumpto vini amari in vase ex aurichalco per noctem infusi haustu cessavit. Post febrem more solito bene valuit: donec initio hujus anni denuo febris intermittente, quæ mox tertianæ, mox quotidianæ typum, frequenter mutatum, servabat, correptus fuerit. Sic affectus æger variis remediis utens totam æstatem transegit: sub finem demum Septembris a febre liber, sed adhuc debilis, incarceratus tristitiæ se addixit, pauca alimenta sumens.

Duodecima Novembris sæpius inhorruit, diarrhæa correptus est, & accessit tussis inanis, alternis diebus acerbior: horror ciborum, cutis sicca. Ad nos delatus continuabat frequenter purgari, lingua erat sordida, flava, urina pauca, biliosa: totus corporis habitus cereus, hydrope intercute tumefactus; abdomen aquis plenum, tensum, valde protuberans: tussis frequens tantum parum muci spumosi excutiebat. Respiratio

cate-



cæterum non valde læsa : fitis pauca : & decubitus, licet situm semi-erectum teneret, in omnem partem possibilis.

Absumtis 24 horarum spatio tartari emetic. gr. iv. in aquæ fontan. lib. j. solutis, quinquies multum vomuit & sæpius purgatus est; alvo intra tridui spatium operad. arnicæ ad debitum moderamen reducta.

Quarta Decembris incepit extract. anti-hydropic. gr. xvij. diei spatio sumere, unde sequenti die urinæ biliosæ major copia excreta.

Sexta Decembris vespere urinæ minus biliosæ lib. v. inveni; alvum mollem biliosam bis deposuerat.

Octava Decembris mane urinæ citreæ lib. vij. miserat æger: alvus ut ante, lingua sat pura, fitis plane nulla; appetitum renasci gaudebat: color cutis idem, uterque hydrops æque tumidus: tussi autem faciliore multa sputa spumosa excernebat æger.

Nona



Nona & decima Decembris totus corporis habitus incipit mollescere, collabi: eadem alvi & urinæ copia & qualitas.

Duodecima Decembris mane urinæ limpidæ lib. xxvj. a nudius tertius miserat: tumor externus corporis valde collabitur, & ascites multum minuitur.

Decima tertia mane urinæ ejusdem qualitatis lib. xxij. inveni: alvus erat figurata: appetitus magnus: fitis plane nulla: cutis manet ficca: hujus color magis naturalis: anasarca integre disparuit, si pedem dextrum adhuc parum tumentem exceperis: abdomen maxima ex parte ab aquis liberatum.

Decima quarta vespere adsunt denuo urinæ pallidæ lib. xiv.: fitis nulla. Postea pergit quotidie urinæ lib. xj. xij. excernere. Decima nona ad vigesimam Decembris noctu ob paulo duriores cibos valde appetenti concessos decies purgatur, sed invenitur ab omni hydrope liber: parum ad-

huc



huc tumente pede dextro: tussis sensim remissior facta penitus cessavit: cutis color naturalis, fitis nulla & reliquæ functiones bonæ.

Hæc cura medicamenti gr. xviii. per diem sumptis peracta est, & quidem solis urinæ viis: cutis enim nunquam maduit.

Vigesima quarta Decembris missum est medicamentum, ne continuans diuresis ægro noceret: illius loco sumpsit extract. mart. pomat. dr. β. per diem & decoct. radic. saleb., ut actio medicamenti adhuc humoribus mixti diuretica parum obtunderetur & corpus roboraretur. Hisce per 12 dies continuatis diuresis naturalis evasit, æger juvante apta diæta sensim vires & carnes ita recuperavit, ut optime valens decima sexta Januarii dimitti potuerit.

### *CASUS OCTAVUS.*

**F**œmina 27 annos nata, a pueritia semper sana, primos menses decimo quar-



to ætatis anno adepta, illos tempore & copia regulares habuit usque ad vigesimum tertium ætatis annum, quo viro nupta statim gravida facta est.

Ab eo tempore tres proles peperit, duas primas lactavit: lactanti secundam jam a tribus mensibus mamma sinistra inflammata in abscessum abiit, tribus locis apertum; quodam emplastro domestico applicato mamma feliciter curata, prius volumen & naturalem mollitiem recuperavit.

Octavum ultimæ graviditatis mensem agens, feбри quotidiana correpta, quæ assumpto remedio quodam a cive per aliquot dies cessavit, dein multo acerbior rediit; quare obstetrix illi purgans propinavit, quod vomitum bis, alvum vero novies copiose movit: emanfit febris, sed intumescere statim artus inferiores & sub finem octavi mensis infantem vivum in lucem edidit triduo post fato functum. Eadem die, nempe



pe vigesima octava Novembris 1772. ad nos delata est : tumebant multum artus inferiores : in abdomine aquarum fluctuatio percipiebatur, lochia fluebant & tribus septimanis perrexerunt fluere, mammæ valde parum intumescere & ægra febris continua circa vesperras remittente affecta erat.

Datis per sex dies statui ægræ convenientibus remediis hydrops sensim augebatur : quare præter emollientia datum est illi securissimum & efficax diureticum oxymel colchicum & simul cortex peruvianus, cuius unc. jß. tridui spatio absumpta febris penitus cessavit.

Decima sexta Decembris lochiis jam a biduo fluere cessantibus anasarca totum corporis habitum occupaverat, & abdomen aquis fluctuatione manifestis turgidissimum evaserat : pauca urina laudabilis coloris reddebatur : & alvus bis terve in die liquida subflava excernebatur. Datum illi vinum



squlliticum, quo per quinque dies usa nullum omnino levamen habuit : quare misso hoc medicamento denuo oxymell. colchic. unc. iij. per diem datæ sunt : ægra vero ob nimiam ventriculi debilitatem id ferre non poterat : quare medicamenta ex junipero & millepedibus &c. parata ad vigesimam sextam Decembris exhibebantur, a quibus nullum omnino levamen, immo urina paucissima fusca, tantum guttatim exprimi cœpit & uterque hydrops valde auctus : artus inferiores frigent, insensiles.

Vigesima septima Decembris dantur ipsi per diem extracti lactuc. gr. xvij.

Vigesima nona urinæ biliosæ lib. vij. a nudius tertius excreverat ægra, anxietas erat minor, pulsus minus frequens ; ventriculo se melius habere gaudebat.

Trigesima prima Decembris mane 23 libras urinæ pallide flaventis a vigesima nona miserat : alvus naturalis, appetitus magnus,



gnus, respiratio multum levata, decubitus in omnem partem possibilis, tumoris hydro-pici magnus collapsus: datur per diem medicamenti dr. ß.

Prima Januarii urinæ pallidæ lib. xxj. ab heri misit: abdomen fere integre detumuit: facies, corporis truncus & artus superiores penitus collapsi, inferiores minus tument, calent, sudant, sensiles sunt: respiratio liberrima: pulsus bonus: a cibis assumptis non amplius anxia fit ægra. Perrexit quotidie magnam urinæ copiam subinde intra 24 horas lib. xv. superantem excernere.

Octava Januarii ab omni hydrope libera est; sed lata durities ex hypochondrio dextro emergens, epigastrium occupans, & fere ad umbilicum usque extensa manu detegitur, ab attactu paulo rudiori dolens: urinæ tantum lib. vj. ab heri misit, & quinta vespertina febris tertiana intermittente sat



valida intra 4 horas sine sudore finita corripitur.

Sub febris decursu ope unguenti mollis frictiones lenes epigastrii & hypochondrii aliquoties in die instituuntur, & ægra priorem medicamenti dosin pergit sumere.

Vigesima prima Januarii, cum de præfatto tumore nihil superesset, datus cortex peruvianus cum sale ammon.: corticis unc. j. ante tempus paroxysmi absumpta illum penitus fugavit. Perrexit dein per 4 dies quotidie cortic. peruv. dr. ij. cum salis ammon. dr. j. sumere, dein ab omni medicamento abstinuit, & sensim vires recuperavit.

### CASUS NONUS.

**V**irgo 36 annos emensa vigesima septima Decembris anni 1772. cum anasarca universali & magna aquarum fluctuantium in abdomine collectione ad nostrum nosocomium delata est.

A pue-



A pueritia vix unquam sana ante & post morbillos & variolas, quas in sua infantia perpeſſa eſt, ſæpius efflorefcentiis cutaneis afflicta, coloris ſemper cachectici.

Decimo ſexto ætatis anno primis menſtruis, iis vero paucis irregularibus & loturæ carniū fere ſimilibus gaviſa eſt, quæ aliquoties valde irregulariter erumpentia locum fecere fluori albo, acri, qui variis adhibitis demum vigefimo ætatis anno ceſſavit; redeuntibus menſtruis æque malæ notæ & æque irregularibus ac ante.

Tribus menſibus elapſis a curato fluore albo intumuit pes dexter, tumor ſuppuratus, ſponte apertus eſt, & novem ſeptimanarum ſpatio cicatrice obductum eſt ulcus. Sed ortus eſt novus tumor in interna inferiori fœmoris pariter dextri parte, qui eodem ac prior modo curatus: poſtea vitam valetudinariam ſemper vixit, doloribus artuum & cephalæa ſæpius laborans & vix unquam ap-



petitu gaudens. Trigesimo tertio ætatis anno brachium dextrum quatuor locis exulceratum remissionem dolorum artuum & capitis attulit : ulceribus autem post quinque menses cicatrice obductis priores rediere dolores, qui declinante Novembri anni 1771. immanes in artubus fuere : has frictione frequenti linteis fumo aromatico imprægnatis peracta intra paucos dies dissipavit ; sequente tam vehementi totius capitis dolore, ut ægra in furorem circiter ageretur : cui levamen allaturus Chirurgus bis magnam ex pede venæ sectionem instituit, purgans drasticum propinavit, & dolores omnes aufert, ac ægræ non leve gaudium procurat, quod triduo elapso cita totius corporis intumescencia turbatum est. Per 4 septimanas varia a Medico præscripta remedia incassum adhibuit ægra, donec ob ingens in epigastrio pondus, decubitus impediens, sensum dilacerantem ipsi creans, ciborum



borum deglutationem valde difficilem reddens, siti excruciatâ, paucissima sive per alvum, sive per urinam excernens, colore fusco viridescente tincta, opem in nostro nosocomio quærere debuit.

Purgantibus salinis per epicrasin datis alvus frequenter mota, urinæ autem opacæ, fuscæ paucissima copia guttatim excreta, & ægra post 5 dies nullo modo levata: quare prima Januarii ipsi extract. antihydrop. tripartita dosi gr. xvij. per diem dari cœperunt.

Secunda Januarii mane binas circiter libras urinæ subfuscæ enæorema colore fuliginem referens gerentis miserat: bis purgata fuerat: decubitus semi-erectus: reliqua ut ante.

Tertia & quarta Januarii urina paulo copiosior, alvus liquida colorem habebat sat naturalem.



Quinta Januarii mane inveni urinæ citreæ noctu missæ cum paucō enæoremate fundum vasis tenente, diaphano lib. vj.; alvus erat pultacea, biliosa; respiratio faciliior; anxietas circa præcordia minor: data sunt ægræ medicam. gr. xxx.

Sexta Januarii mane miserat ægra urinæ pallide flavæ absque enæoremate lib. xv.

Septima Januarii circa meridiem ægra urinæ ejusdem qualitatis lib. xxiv. excreverat; alvus manebat libera, mollis, & fitis disparuerat. Decubitus multo faciliior: totus corporis habitus fere integre collapsus, & abdomen multum detumuerat.

Octava Januarii vespere ante lectum prostabant urinæ lib. xxvj., omnis anasarca disparuerat, ascites maxima ex parte evacuatus erat, alvus ligata, mollis: cibos petit ægra: invenitur hepar tumidum, epigastrium totum implens, quod ægram in latera decumbere prohibet. Urina per 6 dies  
nycht-



nychtemeri spatium ad xij. lib. & ultra excernitur, dein, licet eandem extracti dosim pergat sumere, hæc excretio minuitur, copia tamen potum semper superat. Sub continuato ejusdem remedii dosim usu & adhibitis bis de die frictionibus ficcis moles hepatis ita minuta, ut vigesima septima Februarii ægram mecum examinantes quinque Medici, qui ab initio curæ præsentēs fuerant, de tumore illius nihil amplius invenerint: commode omnem situm corporis decumbens ferebat ægra: pedes penitus detumuerant & appetitus multis annis labefactus tunc ingens erat: perrexit tamen ægra ad latentes forte adhuc in visceribus obstructions eradicandas & vias urinæ magis magisque liberas reddendas eodem medicamento usque ad decimam quintam Martii uti, & sub finem Martii sana & robusta ex nosocomio discessit.



*CASUS DECIMUS.*

**V**ir 35 annos natus, olim miles vix unquam ægrotus, ab annis 4 panem suum purgandis latrinis lucrans, sub finem Decembris incepit hydropicus fieri, intumescantibus primo scroto, dein artubus inferioribus, subsequente cito aquarum in cavo abdominis collectione. Adhibitis domi variis remediis hydrops se insinuavit, quo territus secunda Januarii 1773. ad nostrum nosocomium curavit se deferri.

Ascites erat manifestus, magnus: artus inferiores magnæ molis, tensi, dolentes; decubitus in sinistro latere fere impossibilis; respiratio difficilis; appetitus bonus; sitis mediocris; alvus naturalis, urina pauca, coloris dilute citrei: eadem die sumpsit extract. lactuc. sylv. gr. viij. & sequenti die data sunt illi ejusdem gr. xvj.



Sexta Januarii incepit urinæ excretio augeri: & artus inferiores & abdomen molli, detumescere.

Septima Januarii urinæ lib. xij. misit: hæc excretio postea ita aucta est, ut decima septima Januarii ab omni hydrope liber inventus sit: respiratione in integrum restituta: loco gr. xvj. data sunt tantum medicamento gr. viij. per diem.

Diuresis per 5 dies adhuc copiosa fuit; dein copia ejusdem minuta est: æger cito vires recuperavit, & circa finem Februarii sanus & robustus ex nosocomio discessit.

Toto curæ tempore fitis vix ulla, appetitus bonus, alvus libera.

### *CASUS UNDECIMUS.*

**P**uella 34 annos nata initio Martii anni 1773. absque nota causa in diarrhœam incidit, sexies septiesve aquosa dejiciens: alvi fluxus omnibus adhibitis remediis per-



pertinaciter restitit : sub quo urina valde pauca excernebatur, & appetitus deletus erat.

Decima sexta Maji incepit toto corpore intumescere, & secunda Junii anasarca & ascite laborans in nostrum nosocomium suscepta est.

Congruis remediis sensim cedit alvi fluxus, quo curato per aliquot dies varia contra hydropem tentata remedia, sed absque ullo effectu sensibili : quare vigesima quarta Junii data est ipsi extract. lactuc. sylv. dr. jss. per diem.

Vigesima sexta Junii urinæ flavæ ultra lib. xxv. excrevit, cum antea vix unc. iv. nyctemeri spatium mitteret : fitis antea magna fere extincta erat, & incipiebat appetitus revirescere : alvo naturali sponte secedente. Posthac ægra quotidie ad lib. xxj. vel xxij. urinæ excernit, uterque hydrops cito minuitur, & decima Julii penitus disparuit,



paruit, urina adhuc valde copiosa fluente; appetitu & reliquis functionibus vigentibus.

Datur postea ægræ extracti tantum dr. ß.: urinæ excretio paulatim minuitur: hac remedii dosi continuata & bonæ diætæ usu corpori sensim renatæ sunt carnes & vires; color sanus rediit, & decima Augusti sanissima ad suos rediit.

### *CASUS DUODECIMUS.*

**F**aber lignarius 22 annos natus sub finem anni 1772. feбри quotidiana correptus, quæ circiter per annum non obstantibus multis remediis protracta in quartanam demum mutata est; post cujus secundum paroxysmum hydrops intercus totum corpus occupavit, & cavitas abdominis aqua cito valde impleta est; intravit nosocomium Græcii, in quo per 5 menses decubuit: irrita autem ibi fuere omnia contra hydropem & febrim quartanam adhibita remedia:



media: idcirco Viennam curru vectus ad nostrum nosocomium delatus est. Hic degens 5 septimanarum spatium a febre & ab anasarca, exceptis inferiore crurum parte & pedibus adhuc tumentibus, liberatus est, ascites aliquantisper minutus.

Æger, sperans motu corporis residuum tumoris dissipatum iri, Posonium petiit opificium suum exerciturus: anasarca brevi renatus est, ascites magnum incrementum cepit: quare ibi nosocomium intrare debuit, ubi irrita fuere omnia contra hydropem remedia.

Quadrante anni elapso a suo ex nostro nosocomio egressu denuo curru rustico ad nos undecima Octobris anni 1773. ductus est, valde anxie spirans, multum sitiens, paucio appetitu adhuc gaudens; alvo tarda, sæpe grysea: urinam valde paucam, nigram a longo tempore mittens; cuti tota colore flavo tincta; dolentibus ab attactu epigastrio



strio & hypochondrio dextro valde tumido, duro.

Per biduum solventia, alvum subducen-  
tia medicamenta sumpsit : dein extract. la-  
ctuc. sylv. dr. iij. cum aqua & melle per  
diem datæ sunt : unde excretio urinæ deci-  
ma quarta Octobris jam aucta est.

Decima sexta Octobris urinæ opacæ, ni-  
græ lib. ij. misit : talemque eadem fere sem-  
per copia per 10 dies continuavit excerne-  
re ; alvo varii coloris bis quotidie, subinde  
ter sponte secedente, & cuti tota sæpius le-  
ni sudore madente, siti moderata, vigente-  
que appetitu ; ictero sensim dilutiore reddi-  
to, & anasarca paulatim minuto ; anxietate  
multo minori.

Vigesima septima Octobris x. urinæ vix  
coloratæ libras misit, & postea ejusdem eva-  
cuatio perrexit esse magna.

Trigesima prima Octobris de anasarca  
nihil superest : abdomen molle est, mole



multum minutum: color cutis continuat sensim melior fieri: quoad omnia melius habet æger.

Duodecima Novembris urinæ excretio, utroque hydrope & ictero curatis, minus copiosa esse, & æger per intervalla tussire & cum difficultate paucum gluten expectorare cœpit: alvus coloris naturalis, compacta, tarda; dantur illi medicamenti tantum dr. ij.

Decima septima Novembris datur ipsi purgans, & postea solo infuso stipit. dulcamar. utitur, quo sensim expectoratis multis glutinosis tussis fere integre cessavit.

Prima Decembris tussis a 5 diebus nulla: æger bene valens medicamentum nauseabat. Quare ad viscerum obstructions magis magisque referandas denuo dati sunt illi extract. lactuc. sylv. scr. ij. per diem. Hanc dosin per totum Decembrem sumpsit, dein



dein omni medicamento valedixit, & sanus robustusque sub finem Januarii dimissus est.

### *CASUS DECIMUS TERTIUS.*

**J**uvenis 28. annorum ad nostrum nosocomium undecima Junii anni 1774. delatus est.

Ante sex & medium menses in Hungaria febris quotidiana correptus fuerat, quæ post 5 septimanas adhibitis variis remediis sublata ægrum reliquit hydropicum. Remedia varia ipsi data nullum levamen attulerunt, immo decima septima Maji denuo febris quotidiana illum invasit, cujus frigus circa vesperras ingruens cum valido tremore per bihorium, calor vero ficcus usque ad sequentem diem protrahebatur, & cessabat absque ullo sudore: biduo ante suum in nosocomium ingressum evanuerat febris; color cutis fuscus: ingenti anasarca & ascite affectus erat æger: appetitus nullus, lingua pal-



lida, fitis pauca, alvus tarda, urina paucissima guttatim excreta, nigra.

Statim sumpsit purgans, quod copiosas dejectiones argillaceas produxit, & duodecima Junii extract. antihydrop. dr. j. cœpit fumere: color naturalis, fitis pauca, & incipit appetitus renasci.

Tertia Novembris pergente dicta urinæ excretionem, ictero evanido, præter extract. lact. dr. iij. ad reliquam febrim sensim tollendam quater de die pulv. cort. peruv. dr. ß. ipsi data est.

Octava Novembris a febre perfecte liber est: truncum corporis anasarca deseruit & in artubus inferioribus multum minutus est.

Vix amplius in abdomine percipitur fluctuatio: appetitus est bonus, fitis nulla: respiratio & reliquæ functiones bonæ.

Urina ad lib. x. a nudius tertius quotidie excernitur. Tantum extract. dr. jß.

per



per diem ipsi datur : misso cortice peruv. : excretio urinæ pergit esse magna.

Decima sexta ab omni hydrope liber est : bene valet, Patronus ex nosocomio illum domum recipit.

### *CASUS DECIMUS QUARTUS.*

**F**œmina 24 annor. alias fere semper sana, a binis annis viro juncta, unius prolis mater, quam ipsa lactavit, & qua ablactata mense Majo ad finem vergente subito incepit toto corpore intumescere.

Octava Junii anno 1775. ad nos deferbatur; valde magno ascite afficiebatur : totus corporis habitus ab aqua intercute in monstrosam molem distentus erat : urina paucissima, nigra : alvus libera : fitis paucæ : respiratio valde difficilis : toto tempore lactationis infantis urinæ excretio parcissima fuerat : reliquæ autem functiones sat bonæ.



Statim data illi Extract. dr. j. per diem, sub qua nulla mutatio animadversa: quare 10ma Junii ejusdem dr. ij. per diem exhibitæ. 11ma Junii urinæ misit minus fuscæ lib. ij.; 12ma lib. vj. perfecte citreæ: ægra frequenter leni sudore per totum corpus perfunditur: alvus manet libera: respiratio faciliior est: pergit sæpius diu noctuque sudare & quotidie urinæ lib. vj. & vij. excernere: sæpius pacate dormit, vires reficiuntur.

Vigesima tertia Junii ab omni hydrope curata erat: examinato abdomine invenitur uterus tumidus, indolens; sequenti mane prima vice motum infantis percipit.

A decima nona Junii sitim moderatam habet, quam sedat potando pro libitu. Datur ipsi nunc medicament. dr. ß. per diem, & appetitui renato cibi congrui sufficientes conceduntur.



Tertia Julii ad maritum redit perfecte sana; debito tempore infantem sanum peperit, & feliciter puerperium exegit.

### *CASUS DECIMUSQUINTUS.*

**O**perarius, 25 annos natus, 18. Septembris anno 1776. ad nos delatus est.

Mense Augusto febris putrida decumbens a Balneatore curatus est: febris circa decimam quartam morbi diem, ut credit, cessante, intumescere artus inferiores, & 8 diebus elapsis factus est asciticus & opem apud nos quæsit; anasarca simul & ascite laborans, difficile spirans, tussi sicca affectus cum lingua humida, sordibus pallide flavis obsita, appetitu prostrato, nausea, gingivis lividis sanguinem frequenter fundentibus, cuti colore subfusco tincta & debilitate magna.



Emetico per epicrasin dato aliquoties multa glutinosa bile mixta vomuit: conservis & aliis remediis antiscorbuticis, additis spiritibus mineralibus, intermixtis lenibus purgantibus, conati fuimus misero levamen adferre: sed sub horum usu uterque hydrops crescebat: hinc præter similia data sunt ipsi 28. Septembris oxymell. colchic. unc. ij. per diem: sub quorum usu nulla in melius mutatio facta est; imo ventriculum inde agebat magis debilitari, & se remedium non posse amplius ferre.

Quinta Octobris dedi illi in mixtura analeptica extract. lactuc. sylv. dr. j. per diem: bene tulit, & sequente die medicamento dr. ij. eodem modo ipsi diei spatio exhibitæ sunt.

Septima Octobris urinæ bonæ notæ lib. v. misit, & postea quotidie lib. vj. vel vij. & subinde viij.



Duodecima Octobris fitis disparuerat, gingivæ firmiores erant, lingua pura; alvus libera: appetitus renasci incipiebat: tussis vix ulla: respiratio melior & uterque hydrops manifeste minuebatur.

Decima octava Octobris ab omni hydrope liber est: tussis nulla, respiratio naturalis, appetitus magnus: pergit eandem medicamenti dosin sumere.

Vigesima quarta Novembris perfecte curatus discessit.

### *CASUS DECIMUS SEXTUS.*

**P**aupercula puella 4 annos nata malo victu nutrita a tribus septimanis febris tertiana laborabat; sub cujus initio scabies humida eruperat, & post quintum paroxysmum totius corporis habitus anasarca & ascite affici inceperat.

Trigesima Septembris 1776 ad nostrum nosocomium scabie plena, utroque hydrope



in magnam molem aucto, cum deleto appetitu & siti multa, alvo tarda, urinæ excretionē parcissima delata est.

Datis debita dosi remediis solventibus leniter alvum subducentibus, paroxysmus febris intermittētis alias sat lenis, quarta Octobris emanfit; sub horum usu autem cutis mansit sicca & urinæ excretio æque parca ac ante.

Ideo quinta Octobris oxymell. colchici unc. j. per diem cœpit fumere: sub cujus usu sæpius purgata est: urinæ excretio fere nullo modo aucta: tumor increvit, parvula demum nauseavit, & quoties exhibebatur oxymel, vomitu rejecit: sitis autem multum minuta est.

Decima Octobris data illi per diem extract. lactuc. sylv. dr. ꝑ. in mixtura: id bene fert ægra: & duodecima Octobris ultra lib. i ꝑ. urinæ limpidæ mittit: 13. dantur illi medicamenti fer. iv. diei spatium absumendi.

Deci-



Decima quarta circa meridiem ab aucta medicamento dosi urinæ circiter lib. iij. asservatas inveni; alvum coctam quotidie semel bisve deponit: fitis nulla: totus corporis habitus mollescit: mole minuitur; sæpe toto corpore leniter sudat: somnus antea valde paucus & turbatus, protractior, pacatus est.

Posthac leni sudore sæpe repetente & urina ad duas & ultra libras quotidie excreta uterque hydrops sensim sensimque ita minutus est, ut 29na Octobris ab utroque libera fuerit: appetitu & omnibus functionibus vigentibus, scabieque evanida 2da Novembris curatam puellam domum reduxit mater.

### *CASUS DECIMUS SEPTIMUS.*

**V**irgini 20mum ætatis annum agenti, menstruis regularibus a sex annis gaudent-



denti, nullo unquam gravi morbo affectæ, sub finem Septembris ob dolorem rheumaticum, articulum humeri dextri acerbè excruciantem, larga venæsectio instituitur, quæ brachio pristinam libertatem ablato omni dolore restituit: duris exercitata laboribus copiosos duræ digestionis cibos & multas uvas quotidie ingurgitavit, aqua desuper ad restinguendam magnam sitim affatim pota.

Secunda Octobris 1776 toto corpore intumuit, & nona ejusdem curæ meæ commissæ est; anasarca & magno ascite laborans, suffocationi proxima validam sitim conquerens, tussicula sicca frequenti affecta, urinam nigram valde paucam, subinde guttatim mittens, alvo tarda, appetitu prostrato, decubitu semi-erecto tantum possibili. Præmissio purgante, quod bene operatum est, sumpsit oxymell. colchici unc. iij. quotidie usque ad 14tam Octobris; unde alvus libera reddita, tussis paulo facili-  
lior,



lior, urinæ autem nigræ æque parca excretio mansit, & reliqua symptomata immutata perstiterunt.

Decima quarta Octobris datæ sunt illi extract. antihydrop. dr. ij. in decocto rad. saleb. per diem. Sequenti die urinam opacam nigram fere ad lib. ij. excrevit.

Decima sexta ejusdem lib. vij. sed citreæ cum paucis enæoremate innatente: fitis aberat: cutis humida, mollis: respiratio minus difficilis: alvus cocta, facilis: quæ postea his sæpiusque ter copiosa cocta deponitur.

Pergentibus his evacuationibus & oborto sæpius per totum corpus leni sudore, ægra sensim ita detumuit, & ita levatum est pectus, ut 22da Octobris in omne latus potuerit decumbere, & per intervalla subinde ultra horam dormire; tussicula ficca, mollita, illam ex fomno excitante.



Vigesima octava Octobris ascites disparuit, & anasarca tantum crura & pedes, sed hic etiam multum minutus, occupat: respiratio est libera, tussis rara, sputa spumosa, somnus continuo pacatior: appetitus adhuc paucus: pergit eadem medicamenti dosi uti.

Urina posthac ad x. & xi. lib. quotidie excernitur, alvus est minus frequens, non amplius sudat ægra, & 2da Novembris, nullo superstite hydropis signo, tussi cessante, somno & respiratione optimis gaudenti, major ciborum copia conceditur, & datur medicam. tantum dr. j. per diem.

Sexta Novembris appetitu valde magno gaudenti carnes concessæ sunt: urinæ copia minor: medic. dr. j. continuat sumere usque ad 20am Decembris: postea sola apta diæta utens carnes & vires recuperavit, & tam sana evasit, ut 12ma Decembris menses eruperint,



perint, quibus finitis 17ma prioribus laboribus alacriter denuo incubuit.

### *CASUS DECIMUS OCTAVUS.*

**V**irgo 20mum ætatis annum agens, menstruis nunquam gavisa, nullum gravem morbum perpeffa, cum totius corporis aqua intercute, magna in abdomine aquarum collectione, media abdominis parte finiftra admodum dolente, tensiffima, attactum non ferente, magna fiti, tuffi frequenti, inani, refpiratione difficili valde anxia, alvo tarda, 18. Octobris 1776. ad nos delata eft.

Initio Octobris absque manifesta causa deletus fuerat appetitus, ita ut pauca alimenta eaque cum multa renitentia, ingerere poffet; lassitudine corporis fimul affecta.

Decima Octobris uvis colligendis occupata harum magnam copiam comedit & præter has nihil; multam aquam defuper potavit, & laffa membra vix demum trahere



here potuit: tota die tantum guttatim urinam misit, & nocte sequente gravis, inquieta in lecto jacens, plane nullam: sequenti mane abdomen valde tumebat, & anasarca totum corpus occupaverat: urinam, quam misit valde paucam, ait, atramentum retulisse, & hucusque talem & æque parcam esse, licet bis purgans acre & alia remedia scopo urinam pellendi a Medico propinata domi fuerint.

Ad levanda symptomata præscripsi illi purgans ex sale amaro, manna, & cremore tartari per epicrasin sumendum; unde 18ies usque ad 21. Octobris absque ullo levamine sensibili copiose purgata est; aucta multum siti, ad quam moderandam decoctum hordei cum oxymelle simplici & subinde aquam puram pro lubitu potat.

Vigesima secunda Octobris mane coepit extract. lactuc. dr. ij. per diem sumere. Nullum sensibile levamen usque ad vigesimam octa-



octavam Octobris animadversum est : omnia symptomata perstiterere, urina nigra, spissa per nyctemeri spatium excreta vix unc. iij. æquabat, & ægra vix decumbere potens somno privabatur.

Vigesima octava Octobris matutino tempore urinæ priori similis, immo magis nigræ & spissæ lib. ij. , post meridiem autem circiter lib. ijß. urinæ flavæ misit, & nocte sequente subinde brevi somno resecta est.

Vigesima nona mane denuo lib. ij. urinæ pallide flavæ absque enæoremate noctu missas inveni : respiratio aliquantisper levata videbatur, reliqua in eodem statu permanebant : & alvus a biduo clausa erat. Datus est ægræ haustus purgans ex foliis fennæ, manna & sale polychresto, qui duodecies alvum copiosam aquosam cum magno respirationis, tussis & lateris sinistri abdominis levamine movit : sitim inde auctam sufficienti potu leniebat, noctu vix dormivit. Posthac

E

alvus



alvus libera manet, tenuis semel bisve in die sponte secedit : urina bona ad lib. iv. & vj. excernitur : tussis rarior evadit : anasarca mollescit, collabitur, & minuitur paulatim abdominis moles.

Sexta Novembris latus abdominis finistrum attactum sat fortem fert : continuat collabi, corporis habitus valde detumescit : sæpius sudat ægra : urinæ tenuis, flaventis, cum parvis flocculis albis innatantibus lib. vij. vel viij. nyctemeri spatium mittit : alvus manet libera, laxa, varie colorata : appetitum habet : vix amplius sitit : parum potat, tussis est rara, minus molesta, respiratio valde emendata.

Congrua diætâ utens inceptam medicamenti dosin tam bono cum effectu perrexit sumere, ut vigesima octava Novembris ab omni hydrope & morbofo symptomate libera inventa sit : quare omni medicamento supersedimus : ægra debita diætâ utens car-



nes & vires sensim recuperavit, & decima septima Decembris sanissima discessit.

### *CASUS DECIMUS NONUS.*

**S**artor 32 annos natus, ab adolescentia jam ter febribus intermittentibus affectus, vigesima tertia Augusti denuo febris quotidiana intermittente correptus est. Varia domi adhibita remedia nihil juverunt, immo post decimum paroxysmum ictericus factus est, & intumescere pedes & crura ad genua fere usque: brevi totum corpus anasarca occupavit, & circa finem Septembris continuante febre abdomen in magnam molem elatum incepit respirationem, præcipue tempore paroxysmi, difficilem reddere. Decima septima Octobr. an. 1776. ad nos venit, cum magno ascite, anasarca totum corpus occupante, cute in artubus inferioribus rubra, lucente, tensissima, & quotidianis febris paroxysmis, alvo tarda, plerumque grysea,



urinam jam a quatuor septimanis paucam nigram mittens, multum sitiens, appetitu carens, respiratione brevi, anxia. Datum est illi decoct. hord. rad. gramin. cum oxymelle simplici potui ordinario; medicamentum fuit roob sambuci & ebuli cum bona dosi salis polychresti: his usus est usque ad vigesimam quintam Octobris eo cum effectu, ut alvus quater quinquiesve sat copiose nyctemeri spatio cum aliquo respirationis levamine moveretur, & sitis minor fieret; urina autem vix ad sex uncias diei spatio missa manebat nigra, & uterque hydrops prius volumen servabat.

Vigesima sexta Octobris continuato priori potu loco medicamenti hucusque sumpti extract. lactuc. sylv. dr. iij. per diem ægro datæ sunt.

Vigesima septima mane ab incepto medicamenti usu urinæ profunde fuscæ lib. ij. miserat: febris circa tertiam pomeridianam

acce-



accedens multo remissior fuit, & nocte frequente ter per horam circiter somnum adhuc inquietum habuit, quo a multis septimanis fere integre privatus erat. Sic se habuit usque ad vigesimam nonam, alvum figuratam, modo magis modo minus gryseam, semel bisve quotidie deponens.

Vigesima nona Octobris urina copiosior, dilutioris castanei coloris, cum multo enæo-remate fusco subsidente fluere cœpit.

Trigesima Octobris sex talis urinæ libras misit, trigesima prima ejusdem, sed adhuc dilutioris coloris, ultra lib. vii.: loco frigoris tantum horripilationes leves passus est: calor febrilis antea ad sex vel septem horas protractus intra bihorium deferbuit, sudore solito copiosiori finitus: & noctu præter morem sæpius leniter sudavit: alvus subfusca est.

Prima Novembris totus corporis habitus mollitur, detumescit, moles abdominis



minuitur: color cutis flavus disparere incipit: urina pallide flava ad viij. lib. hodie excreta: alvus decima tertia fusca; urinæ nigræ excretio paulo copiosior.

Decima quarta medicamento dr. iijß. diei spatio absumere debuit.

Decima quinta vespere ab heri mane circiter xii. urinæ valde fuscæ libras miserat: decima sexta urina minus fusca est & copiosior.

Decima octava urina est citrea, & hujus fere xvj. libras nyctemeri spatio excrevit: ex quo hoc remedium sumit, alvus quotidie sponte fecedit: fitis nulla: appetitus renascitur, & anasarca sensim magis minuitur.

Decima nona duodecim urinæ citreæ cum paucis enæoremate fundum petente libras misit, & post hæc continuavit eadem vel majori copia lotium quotidie excernere, ita ut vigesima septima Nov. de anasarca nihil superfuerit, & ascitem ingentem fere inte-



gre curatum invenerimus, cutis colore fusco in naturalem mutato, & omnibus functionibus vigentibus. Continuata eadem medicamenti dosi sexta Januarii ab ascite liber inventus est æger: appetitus erat magnus, sitis nulla, urinæ excretio parcior: alvus naturalis.

Ad latentes forte adhuc viscerum obstructions radicitus tollendas toto mense Januario & Februario eandem medicamenti dosin perrexit sumere æger, & circa medium Aprilem sanissimus dimissus est.

### *CASUS VIGESIMUS.*

**V**ir 32 annos natus feбри putrida, in qua petechiæ & milliaria eruperunt, per 4 septimanas decubuit. Elapsis dein quatuordecim diebus sanitati nondum perfecte restitutus, feбри quotidiana correptus est, quæ per 6 septimanas, non obstantibus multis adhibitis remediis, continuavit, &



demum in tertianam mutata est, sub cujus initio toto corpore intumuit, & tota cutis colore fusco tincta est; utroque hypochondrio valde tumido, duro. Incassum adhibitis, partim ab arte peritis, partim ab aniculis præscriptis, remediis quinta febris tertianæ septimana, decima sexta nempe Octobris 1777., se curæ meæ commisit.

Ingens erat abdominis moles, in quo, non obstante totius corporis magno ab aqua intercute tumore, manifesta percipiebatur fluctuatio: oculi erant luridi, fusci, totius corporis color profunde fuscus: alvus tarda, pauca, mollis, varie colorata: urina paucissima, nigra jam a quatuordecim diebus excernebatur: sitis magna: appetitus vix ullus: lingua humida absque fordibus fuscescens: respiratio difficilis: somnus vix ullus. Decubitus, licet inquietus, in omnem partem possibilis.



Præmissio purgante datum est illi infuso-  
decoctum flor. arnic., & quotidie oxymell.  
colchic. unc. ij. absumpsit; vigesima prima  
Octobris, continuato flor. arnic. usu, cœpit  
oxymell. colchic. unc. iij. quotidie sumere,  
sic continuando ad vigesimam septimam us-  
que alvus quidem liquida bis terve de die  
secessit, urinæ autem nigræ æque pauca ex-  
cretio & reliqua symptomata eadem manere  
ac ante.

Vigesima septima Octobris loco infuso-  
decocti dedi illi flor. arnic. unc. ß. & ex-  
tract. lactuc. sylv. dr. ij. cum syrup. de duo-  
bus in electuar. redactas per diem absumen-  
das. Hisce continuatis usque ad tertiam Nov.  
inclusive nulla in melius mutatio: immo alvus  
tardior evasit, & æger medicamentum ab-  
horruit: vespere datum est illi purgans,  
quod octies copiosam alvum liquidam movit.

Quarta Novembris extract. lactuc. sylv.  
dr. iij. per diem ipsi datæ sunt, super-



poto semper florum arnicæ infuso : alvus quotidie bis secessit argillacea sat copiosa : in reliquis nulla mutatio.

Sexta Novembris urinæ dilute flavæ, multis parvis flocculis, quasi gummi arabicum in illa imperfecte solutum fuisset, in illa suspensis, lib. iv. misit : septima Novembris fere lib. vj.

Octava eadem copia excreta est, alvo varia quotidie bis terve secedente.

Nona Novembris, cum febris, licet moderata omni alterna die ægrum pergeret invadere, semper absque sudore desinens, & cutis color jam dilutior, pallidior sensim factus, urinæque magna mutatio hepatis obstructions multum minutas esse docerent, missa arnica & continuata extract. antihydrici eadem dosi, datæ sunt ægro pulv. cort. peruv. dr. iv. per diem ; cujus unc. j. absumpta paroxysmus febrilis emanfit : æger per quatuor alias dies corticis dr. ij. sum-



sumpsit : dein solo extract. antihydrico perrexit uti.

Alvus semper mansit libera : urina flavas, tenuis ad lib. vj. vel vij. & ultra nyctemeris spatio continuavit excerni, cum magna utriusque hydropis imminutione.

Vigesima Novembris anasarca penitus disparuit : ascites valde minuitur ; sitis, sensim minuta, abest : urina heri ad lib. x. & hodie eadem copia excreta est : cutis color naturalis : appetitus renascitur : respiratio libera, somnus bonus : pergit medicamento dr. iij. per diem sumere.

Vigesima nona Novembris nullum amplius hydropis signum adest : æger bene habet : valde appetit : conceduntur ipsi cibi copiosiores & vini usus : pergit adhuc per tres septimanas extract. antihydric. dr. j. sumere, dein sanus & robustus ab illo abstinet.



*CASUS VIGESIMUS  
PRIMUS.*

**F**aber lignarius, 33tium ætatis annum emensus, laboribus tota vita semper multum exercitatus, sexta Aug. an. 1777. febrî quotidiana correptus est, quæ absque medicamentis decima quarta Septemb. emanfit, & quarta Octobris denuo illum invasit, toto corpore cito intumesciente: sumptis a Balneatore multis remediis duodecima Novembris secunda vice a febre liber fuit, & factus est ictericus.

Vigesima secunda Novembris ascite, anasarca & ictero laborans, & a tribus septimanis vix libras duas urinæ modo flavæ, modo biliosæ per diem mittens, cum alvo grysea liquida, appetitu paucò, siti non magna, somno utcunque bono ad nos delatus est. Bonam dosin salium mediorum cum

con-



conserva fumar. & ejusdem syrup. usque ad vigesimam nonam Nov. sumpsit, sub quorum usu æger frequenter purgatus est: icterus disparuit, urinæ autem excretio non aucta: & uterque hydrops manifeste increvit.

Vigesima nona Novembris oxymell. colchic. unc. ij. quotidie cœpit sumere.

Secunda Decembris ejusdem unc. iij. per diem ipsi datæ sunt: unde aliquoties in die purgatus est: subinde leniter sudavit: cæterum nullum diureseos augmentum: & aucta sensim abdominis mole respiratio difficilis evasit.

Undecima Decembris vinum squilliticum ipsi præscripsi, sub quo per sex dies continuato molesta tussis sicca & anxietas major cum frequenti vomituritione orta est: appetitus prostratus, & sitis multa: urina rubra paucior, quam ante fluxit.



Decima septima Decembris missis aliis extract. antihydronic. dr. iij. in decocto saleb. per diem datæ sunt.

Decima nona circa meridiem asservatas inveni a decima octava mane urinæ pallide flavæ lib. xiiij. : aberat anxietas, nausea & sitis : fere integre disparuerat tussis ; ac tota fere nocte multum sudaverat : anasarca erat multum minutus : alvus naturalis. Pergit quotidie sæpius sudare & urinæ lib. xx. xxj. & subinde plures mittere : quare vigesima quarta Decembris tantum medicamenti dr. ij. per diem ipsi exhibentur.

Quinta Januarii parcior fit urinæ excretio : raro sudat æger, bono appetitu gaudet, ab utroque hydrope liber est : sumit impofterum ejusdem medicamenti solummodo dr. j. per diem.

Continuata hac remedii dosi, & cibis aptis utens æger vires recuperavit, corpori  
car-



carnes renatæ sunt, ac decima Februarii perfectæ sanitati restitutus ad suos rediit.

## *CASUS VIGESIMUS SECUNDUS.*

**M**iles dimissus, 34 annos natus, mense Martio anni 1779. Græcium advenit, brevi post adventum in febrim putridam lapsus in nosocomium susceptus est, in quo ultra tres menses valde graviter decubuit.

Decima sexta Julii, cum vires paulisper recuperasset, antequam in cruribus vesicantium plagæ coaluissent, Græcio Viennam partim pedes, partim curru rustico vectus, petiit: tempore itineris intumescere ipsi artus inferiores & abdomen: Viennam appulsus diarrhœa correptus est, & totum habitum corporis aqua intercus tumefecit, abdomen mole auctum. Debilissimus æger duodeci-

ma



ma Augusti in nostrum nosocomium susceptus est.

Manifesta aquarum in abdomine fluctuatio manu percipitur, tumor corporis ubique vestigii digito impressi diu tenax : appetitu carens multum sitiebat æger, & ultra 20ies nyctemeri spatium purgabatur : vesicantium in quavis fura plagæ fuscae, siccae. Data est illi quater de diē pulv. rad. arnic. dr. j., vesicantium plagis mucilago gumm. arabic. multa camphora saturata applicata, & scopo nutritivo & humectante decoct. rad. saleb. ægro exhibitum.

Sub horum usu diarrhœa sensim minuta, & urina, quæ a tribus septimanis valde pauca & fusca guttatim excernebatur, sensim ad unc. j. vel ij. aliquoties in die prodire cœpit, opaca, nigrescens.

Decima septima Augusti diarrhœa cessavit, heri & hodie alvum pultaceam, colore viridescenti a radice arnicæ imbutam

tan-



tantum bis deponit : interim abdomen magis intumescit, & anasarca tumidior evasit.

Decima octava Augusti præter radicem arnicæ datur ipsi in decocto radic. saleb extracti lactuc. sylv. secundum datam antea normam præparati dr. j. per diem.

Decima nona mane jam urinæ varii in variis vasis coloris lib. viij. miserat, alvum ligatam, duram deposuerat : plagæ vesicantium suppurabant.

Vigesima mane urinæ partim citreæ, partim rubellæ cum pauca nubecula innatante lib. xv. excretæ. Hydrops intercus valde minutus : incipit denuo appetere æger, minus sitit ; alvus naturalis ; animo erigitur.

Vigesima prima Augusti mane in assere ad pedes lecti urinæ pallidæ, tenuissimam nubeculam in medio gerentis, lib. xxv. ab heri mane missæ inveni : præter crura totum corpus anasarca deseruerat, & abdomen media parte collapsum erat : æger famem



conquerebatur, vix amplius sitiebat: & quoad omnia melius se habebat.

Vigesima septima, cum æger omni die urinæ pallidæ circiter unc. xv. vel xx. pergat excernere, & præter pedes & inferiorem crurum partem corpus ab utroque hydropæ liberum videatur, functionibus omnibus reviviscentibus, extracti antihydrici dr. ꝑ. tantum in decocto radicis saleb per diem præscribitur; diæta congrua æger reficitur.

Trigesima prima Augusti æque copiosa pergit esse urinæ excretio ac ante, abdomine valde collapsio sinister hepatis lobus tumidus invenitur: æger tamen optime appetit, color antea pallide viridescens in meliorem mutatur, vires increfcunt. Datur illi medicamento scr. j. tantum, uno die absumendus, & epigastrium ac hypochondrium dextrum bis de die unguento althææ fricatur.

Septi-



Septima Septembris de tumore hepatis nihil amplius percipitur, omnes functiones naturales sunt: vires & carnes ægro renascuntur; pergit tamen suo uti medicamento ad latentes forte adhuc profundas obstructions magis magisque eradicandas.

Vigesima Septembris sanus & sat robustus ex nosocomio dimissus est.

### *CASUS VIGESIMUS TERTIUS.*

**F**œmina 74 annos nata, a pueritia laboribus ancillaribus occupata, vix unquam ægrota, sub finem Julii 1779. languida evasit, appetitum amisit, & laboribus inepta facta est: initio mensis Octobris in diarrhæam incidit, quæ corpus ætate & laboribus jam fractum sensim magis debilitavit: unde sub finem Novembris toto corpore tumere cœpit: decima sexta Decembris ad nos delata est.



Abdomen ingentis molis aquis fluctuantibus plenum : tumidissimus anasarca totum corpus occupabat ; extrema frigebant ; respiratio difficilis ; pulsus præ tumore non tangendus ; cutis sicca ; lingua pallida, humida ; lenis continuabat diarrhæa ; urina a quinque septimanis fusca, guttatim expressa, vix unc. iij. nyctemeri spatio æquans ; appetitus plane nullus ; sitis pauca ; ægra debilissima vix amplius movere se potens.

Data ipse bis de die pulver. rad. arnic. dr. j. & extract. lactuc. sylv. dr. ijß. in decoct. rad. saleb quotidie absumendæ. Vini austriaci lib. ß. intincto bis in die pane exhaust.

Decima nona Decembris alvus est pultacea, minus frequens : cibi melius sapiunt, & interdiu urinæ adhuc opacæ, fulcæ, circiter lib. ijß. mittit, continui fere conatus ad mingendum molestias patiens.

Nocte



Nocte sequente urinæ lib. iv. excrevit, subfuscæ, enæorema copiosum in medio suspensum, nigrum gerentis, & sub matutinum tempus alvum ligatam deposuit: mane inveni ægram toto corpore sudore calido, æquali perfusam, qui ultra trihorium durans respirationem multum levavit, & animum ægræ erexit.

Vigesima prima Decembris ab heri mane urinæ adhuc fuscæ lib. vj. excrevit: duo prima vitra enæorema copiosum suspensum nigrum gerunt, in reliquis fundum occupat, diluti magis coloris est: missa fit arnicæ radix, & continuatur extract. antihydropsici prior dosi.

Pergit ægra quotidie urinæ varie coloratæ lib. vj. vij. subinde viij. excernere: cutis sæpe leni sudore perfunditur, alvus est naturalis, appetitus bonus, respiratio sensim melior fit, pulsus mollis, inæqualis, vires renascuntur: ac tertia Januarii totus corporis



ris habitus perfecte detumuit, abdominis inoles minor est.

Quarta Januarii ad referendam alvum a biduo clausam sumit hauſtum purgantem, qui aliquoties copioſe operatur: ſequenti die extract. noſtri dr. iij. per diem in decocto ſaleb ſumere cœpit.

Sexta Januarii mane inveni ad pedes leſti urinæ citreæ nullum enæorema gerentis lib. xxij.; abdomen valde collapſum, ægram hilarem, magno appetitu gaudentem, & quoad reliqua melius habere continuantem.

Nona Januarii pergente valde copioſa diureſi abdomen penitus collapſum invenitur.

Ægra de die in diem in melius vergens pergit eadem medicamento doſi uti uſque ad vigefimam Januarii, urina quantitatem liquidorum aſſumptorum poſt duodecimam Januarii vix amplius ſuperante.

Vige-



Vigesima Januarii ab omni medicamento abstinet, & diæta congrua utens pro ratione ætatis vires sat magnas acquisivit, & decima quarta Februarii sana ex nosocomio dimissa est.

### *CASUS VIGESIMUS QUARTUS.*

**S**criniarius 24 annos natus autumno elapso feбри intermittente laboravit, a qua adhibitis variis remediis post undecim paroxysmos curatus ait, se sat bene habuisse, ac tota vita vix ægrotasse.

Vigesima Junii hujus anni feбри putrida correptus est, ex qua non obstante optimorum remediorum usu post quintam septimanam difficulter evasit.

Conveniente eupepta diæta carnes & vires deperditas resarcire conatus nihil profecit: mansit summe emaciatus, valde debilis, & circa medium Augusti artubus in-



ferioribus & facie tumere cœpit : aquæ in cavo abdominis collectæ sunt, & secunda Septembris abdomen aquis plenum valde distentum erat, & totum corpus anasarca occupabat: alvus erat laxa, urina a tribus septimanis pauca: sitis mediocris, appetitus adhuc utcumque vigeat.

Secunda Septembris ægro datæ sunt extract. lactuc. sylv. dr. ij. in decocto saleb.

Quarta Septembris mane urinæ jam copiosiores sunt, & usque ad quintam mane decem libras excrevit: sunt pallide citreæ, vix enæorema gerentes. Incipit quotidie medicamenti dr. ijß. in præfato decocto sumere.

Sexta Septembris aliquoties toto corpore sudat: urinæ excretio manet copiosa: anasarca multum minuitur.

Octava sumit extracti ejusdem dr. ij. per diem. Alvus ab initio curæ tantum  
semel



femel vel bis in die deponitur, urinæ copiosa excretio: appetitus bonus.

Decima de anasarca nihil amplius superest, abdomen duabus tertiis partibus collapsum: urinæ lib. x. xij. & ultra pergit quotidie excernere; potum ob defectum fitis vix sumens.

Decima tertia ab omni hydrope perfecte liber est, vires paulisper augentur, paucum vinum & cibos convenientes avidè sumit: pergit eadem extracti lactuc. dosi uti.

Decima sexta Septembris ait, se noctu aliquoties tussitasse; alvus est naturalis, urinæ excretio quantitatem potus assumpti parum superat; appetitu bono gaudet æger, non fitit. Datur ipsi extract. lactuc. sylv. tantum dr. j. per diem, & major dosis decoct. radic. saleb: vinum omittitur.

Decima nona Septembris die, qua hæc typis trado, æger pergit bene habere,



& spes est, fore, ut integræ sanitati restitua-  
tur.

Credo, hos casus sufficere, ut quilibet  
de viribus optimi hujus remedii judicare  
valeat. Triplo majorem ægrorum numerum  
ab anno 1771. hoc extracto curavi, quo-  
rum historiæ non plus ac præcedentes do-  
cent; quare harum relationi supersedi, ne  
inutiliter volumen hujus opusculi augeatur:  
quæ peculiaria observavi, in sequentibus  
corollariis exponam.





## COROLLARIA.

**E**xtractum lactucæ sylvestris est remedium blandum & ventriculo amicissimum.

Magna etiam dosi datum nullum ægris incommodum parit: immo deletum appetitum refuscitat, & lymphæ tenacitate soluta liberum illi per minima vasa transitum restituit, & sic in multis hydropicis morbosam sitim extinguit vel minuit.

Hoc remedium, licet plerumque alvum liberam servet, diarrhæam non excitat: sub illius usu præter diuresin subinde etiam diaphoresis augetur, quam in pluribus ægris sat copiosam & valde levantem observavi.

Materiam lentam glutinosam viscera obstruentem attenuat, solvit, & aptam reddit, quæ per urinæ vias, per cutim, vel si pulmones



mones obsederit, per sputa e corpore eliminetur.

Icterus a tali materia ortum in hydropicis feliciter curat, & interea bilis vices supplet.

Ab hac humorum dispositione natum hydropem, nullum ægro incommodum creans, potenter aggreditur & curat.

Hydrops a solidorum nimia laxitate & humorum dissolutione originem ducens, ubi debilitati viscerum & vasorum frequenter horum obstructions, per errorem loci factæ, conjunctæ sunt, nullo medicamento tam secure, tam commode & tam prompte curatur, quam hoc extracto. In epidemia putrida annorum 1771. 1772. & etiam anno 1773. numerosissimi fuere hydropici, quorum valde multi solo hoc remedio fuere curati.

Si spissitudo humorum inflammatoria, neglectis nimis diu remediis antiphlogisticis, viscerum obstructions & hydropem produxit,



xit, vel illum comitatur, extractum lactu-  
cæ sylvestris non juvat : immo, quantum  
ex aliquibus observationibus colligere po-  
tui, pertinaci usu nocere posset : est enim  
remedium leniter roborans & irritans ac an-  
tisepticum, crasi sanguinis inflammatoriæ im-  
mutandæ minime aptum.

Primis annis, quibus hoc remedio usus  
sum, meticulosus finita cura ægris sæpe alia  
ex classe roborantium petita remedia exhi-  
bui, quod postea valde raro necessarium in-  
veni : debita enim diætâ, & continuato ad  
aliquod tempus hujus remedii usu corpus se-  
curius roboratur, quam usu remediorum ad-  
stringentium, quibus non radicitus forte sub-  
latas viscerum obstructions sæpe denuo au-  
ctas vidi.

Inficias tamen non eo, dari subinde sub-  
jecta, variæ classis roborantibus ad firman-  
dum



dum corpus post aquarum evacuationem indigentia.

Dosis extracti lactucae sylvestris in variis subjectis varia est : in hydrope ab humorum dissolutione & solidorum laxitate orto omnium minima requiritur, & subinde usu quotidiano gr. xvij. scr. j. vel dr. β. tales ægri feliciter curantur. Si tamen antiquæ jam adsint viscerum obstructions, etiam in hoc casu major dosis requiritur. In hydrope a frigido humorum lentore orto dosis a dr. j. ad dr. iij. ascendere debet, quæ si non juvet, & ex rite depurato succo paratum sit extractum, ægri curatio ab hoc remedio vix expectari potest : cæterum, etiamsi ejusdem unc. j. ægro tuo dederis, illi quidem nauseam, non vero noxam adferes : nisi in quantum hujus remedii usui nimis diu insistendo alia huic casui specifico forte magis accommodata remedia neglexeris.

Po-



Potum sufficientem (\*) sitientibus hydropicis quocumque remedio diuretico utentibus semper exhibui & exhibeo, cavendo tantum, ne nimia copia una vice ingurgitantes ventriculum gravent. Aquæ enim in cava corporis effusæ, etiamsi blandæ sint, non diluunt massam humorum, utpote ab illis separatæ, neque sufficienti copia resorptæ: languent enim in hoc morbo vasa resorbentia, & hæc est præcipua collectarum in cavitatibus aquarum causa. Si autem aquæ effusæ jam acrimoniam contraxerint, sitim augment, febrim & alia mala excitant: quibus malis nisi potu diluente vel simul demulcente

---

(\*) *Hac super re legi merentur Animadversiones de natura hydropis ejusque curatione Auctore FRANCISCO MILMAN, M.D. Doctissimus ac sagacissimus hic Medicus Anglicus, in observando indefessus, hanc rem secundum sana artis principia exposuit. Hic Tractatus habetur Viennæ & Londini apud Rudolphum Græffer.*



cente obviam eatur, pessimæ inflammatio-  
nes & gangrænæ oriuntur, & mors  
ægri acceleratur.

FINIS.







α. *Lactuca virosa.*  
 B. *Semiflosculus solitarius*  
 cum staminibus et pistillo,  
 germini insidente.  
 V. Semen, cum pappo suo  
 piloso stipitato.



